θρηνωδίαι,

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO Dn. CHRISTOPHORO BUTELIO

S.S. Theologiæ D. & Ecclesiæ Stetinensis ad D. Nicolai Pastori vigilantissimo:

In funere filij trimuli GODOFREDI, *bellissimi pueri:*

Piet. observ. & condol. causâ scriptæ ab Amicis quibusdam.

Anno 1609. postr. Iohannis Bapt.

STETINI,
Typis Iohannis Duberi.

VITA
GOTFRIEDI BUTELII TRIMULI,
9. Cal. Iulij, Anno 1609. piè defuncti.

Duo Disticha priora, Annum, Mensem, Diem & Horam ortus & obitus, exprimunt.

Nascitur 30 Iunij, hora 8. m. Anno 1606.

BIs qVartâ Manè, En! trIgInta IVnIVs aXes
LVstrat, GottfrIeDVs natVs Vt orbe pVer.

Denascitur 23. Iunij, h. 2. Pom: Anno 1609.

IVnIVs astVt ter, bInas, VIgesIMVs, horas
OCCVpat, eX VIVIS CœLICa regna CapIt.

Aliud, Annum obitus saltem complectens.

BVteLII GottfrIeDVs obIt nece VICtVs aCerbâ
FILIVs; aXe poLI gaVDIa CaVtVs habet.

Apostrophe ad Parentem votiva.

LVX VIta VeraX PatreM rege peCtore reCto,
LVstret Vt hIC & Te faVstVs In arCe poLI.

Paul Zacharias Scab. Stet.
observantissimus
Dn. Parentis

ALIVD.

VTrosa manê viret, niveoq; in flore co-
(ruscat,
Sole sub occiduo ast marcida adu-
(sta cadit:
Sic oritur, floret, moritur, qui vivit
(in orbe,
Omnis homo; fragile est & breve vita bonum!
Sit breve vita bonum; Mors commoda gaudia secū
Atq; æterna feret, si benè quis moritur.
Sed benè quis moritur? juvenis, quem morte IEHO-
(VÆ
Tollit amor, juvenis sic benè quis moritur:
Et sine labe videt cœlestia gaudia, ridet
Ac mundum immundum, qui mala dira vomit.
GotFried hat gutt Fried/ ist in Gotts friede ge-
(storben/
Gott laß dort im friedt sein liebe seele leben.

M. Adam Mœseler Ill.
Dic. Advoc. Scab. Stet.

Xedi-

σχεδίασμα funebre
in obitum
GODTFRIDI
CLARIS. AC REV. VIRI
DN. CHRISTOPHORI BUTELII SS. Th. D.
Filioli
Charissimi.

GODTFRIDUS læto tibi, vir reveren-
(de, parenti
Natus recèns, denascitur letho, tibi læ-
(to minus.
Indue verò animum lacrumasq; ab-
(sterge; IEHOVAH
Hunc abstulit. Namq; usui tibi commodaverat bre-
(vi,
Et non mancipio, (cuncto ceu vivitur ævo!)
Manuũ suarũ plasma nobile reppetit, sibi propriũ.
Hîc flos, ros, fœnum, cœnum, fuit aura; quid inde?
Crescens, vigens, virensq; mundo Spiritu vivet
DEO.

Condolent. & affin. ergò
M. Balth. Setzer
Ill. Dic. Adv. & Scab. Stet

ALI-

ALIUD.

QVam subito soleant spes evanescere casu,
Sæpius & mutent fata maligna vices:
Hoc mihi sat constat, nec erit contrarius alter
Res est in promptu; quid juvat ore loqui?
Binas filiolas modò fata tulêre suprema,
Parcit ad huc stirpi vix fera Parca meæ.
Gnatus BUTELII quia spes perchara parentis
GOTFRIDUS cœli nunc juga prosper habet.
Vicerat heu justos nondum trieteridis annos
Raptat ut hunc avidâ Morta cruenta manu.
NUMINIS at fruitur vultu, cœlestia captans
Dona: sub æterno nam IOVE perpes ovat.
Hoc solamen erit TIBI VIR clarißime DOCTOR
Affinis, lachrymis ergò quiesce: Vale.

Aff. Condol.

Christian Ludeke
Iunior.

Fili-

Filiolus defunctus Dno
Parenti valedicit.

TE, qui fidus eras, Pater ô, tellure relinquo,
Et quæ sunt vani gaudia vana soli.
Contrà cœlestem patriam, mihi morte paratam
CHRISTI, jam subeo, quæ subeunda fuit.
Multa tuli in terris, sudavi, alsiq; mihi sed
Desijt esse dolor, qui fuit ante dolor.
In vita planxi: CHRISTO jam Musicus inter
Cœlestes possum psallere voce choros.
Ergo Pater lachrymas linquas: sit numine dante,
Mors mea fausta mihi; Mansio fausta tibi.

Memoriæ lepidissimi pusionis
posuit lubens

Christophorus Stecherus.
Scholæ Senat. Coll.

